

Episcopum licentiam ultra tempus a Concilio permissum nec dare, nec aliquem a residentia in choro excusare posse, nisi in casibus in jure expressis juxta dispositionem cap. unic. de clericis non resident. in VI. Ad decretum autem S. Congregationis respondet, talem facultatem ex speciali gratia et cum causa fuisse concessam, et propterea ad alios Episcopos non esse extendendam (1). Ratio est, quia Episcopus dispensare seu gratiam dare nequit in lege Concilii universalis, qualis est lex residentiae, nisi id ei concedatur.

Quapropter si opus fuerit, ad Sedem Apostolicam recurrendum est, quæ si justæ causæ adfuerint, uti reddituum tenuitas aut imminutio, paucitas canonicorum, aeris intemperies, loci humiditas, distantia ecclesiae, vicinarum cathedralium consuetudo aut indultum, longiores vacationes aliasque gratias concedere solet (2).

§ 5. *Menses vacationis quomodo intelligendi sunt.*

I. Quamvis nonnulli censeant, mensem accipiendum esse pro duodecima, et tres menses pro quarta anni parte; in hoc tamen casu dicendum videtur, mensem continere tringinta dies, et tres menses nonaginta dies, cum Concilium illos absolute determinet, et non exprimat, a quo tempore incipiant, maxime cum possint accipi, non solum continui, sed etiam interpolati (3).

II. Tempus vacationis trium vel minorum mensium, quam Concilium Tridentinum permittit, potest esse tam continuum quam interpolatum, dummodo ecclesia non destituatur debito servitio: siquidem Sacra Congregatio verbis expressis declaravit, necessarium non esse, ut absentia sit continua, sed satis esse, quod dies absentiae quandoque interpolati, trimestre non excedant (4).

III. Canonici bene possunt conjungere trimestre unius anni cum trimestri anni sequentis, nisi scandalum obveniat, aut cultus divinus minuatur (5). Cum tempus vacationis continuum esse pos-

(1) Garcias de benef. p. 3, cap. 2, n. 98, 406-415; Fagnanus in 1 p. III, Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 37; Ceccoperius lib. 2, tit. XII, n. 2 et 3.

(2) Pallottini *Canonici* § IX, n. 93 et seqq.

(3) Garcias de benef. p. 3, cap. 2, n. 306 et 307; Barbosa de canonicis cap. XX, n. 2.

(4) In *Mutinen.* 1575, lib. 2 decret. p. 198; in *Casaten.* mense Sept. 1607, lib. 11 decret. p. 14, apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 142 et 143; in *Mutinen.* 1573, lib. 1, decret. p. 178; in *Aquil.* 17 Junii 1594, lib. 8 decret. p. 92 a tergo apud Bened. XIV. Inst. 107, § VI; Ceccoperius lib. 2, tit. XII, n. 1.

(5) Ita S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 129.

sit, et non determinetur, qua anni parte desumendum; sequitur vacationem uno anno in fine, et altero in principio haberi posse, et sic utramque conjungi: modo non obstat ecclesiae consuetudo, statutum aut mandatum Episcopi, quo vacationes interdicuntur tempore adventus et quadragesimæ in solemnitate nativitatis Domini et similium festorum, ut dicitur § 7, n. III.

IV. Qui in medio anni canonicus efficitur, hoc eodem anno a choro abesse non potest, nisi per mensem cum dimidio. Sic qui in fine mensis Septembris sui canonicatus possessionem capit, non potest a choro abesse tribus mensibus sequentibus, et anno subsequenti eodem frui privilegio. Ratio est, quia trium mensium absentia pro rata conceditur canonicis, ut hi diuturno labore defessi, cum ferrei non sint, honesta oblectatione quotannis recreentur, et sic majori cum spiritu ad labores chori redeant (1).

§ 6. *An causa vel licentia ad vacationem requiritur.*

I. Supposita consuetudine vel ecclesiae statuto, quo vacatio conceditur intra limites trium mensium, alia ratio non requiritur, sed canonici recreationis causa abesse possunt. Cum enim Concilium eam vacationem admittat, vel saltem non prohibeat, nihil est, quod huic per se obstare potest (2).

II. Capituli licentia non requiritur ad vacationem (3).

III. Nec Episcopi licentia requiritur (4): ita ut canonici eam petere non debeant (5); et Episcopus absentiam de jure permissam absque sua licentia prohibere nequeat (6). Quod si tamen Episcopus prohibeat, ne canonici absque ejus licentia absint, canonici ad Sacram Congregationem recurrere valent (7).

(1) Ceccoperius loco cit. n. 7.

(2) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 53; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 10; Engel lib. III Decretal. tit. IV, n. 26; Garcias de benef. p. 3, c. 2, n. 313-315.

(3) Fagnanus loco cit. Bouix de capitulis p. 3, cap. IV, § 1, n. IX.

(4) S. C. C. 1581 in causa *Abulen.* lib. 3 decret. p. 79, apud Bened. XIV, Inst. 107, § VI; alia apud Pallottini *Canonici* § V, n. 126-131; Fagnanus loco cit. Reiffenstuel lib. III Decret. tit. IV, n. 116; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 10.

(5) S. C. C. 12 Maji 1594 in *Senen.* apud Zamboni *Canonici* § XI, n. 5.

(6) S. C. C. in *Adrien.* S. Maji 1649, lib. 18 decret. p. 626, apud Pallottini loco cit. n. 128 et 129.

(7) Pallottini loco cit. n. 136-138.

IV. Tametsi Sacra Congregatio declaraverit, nullam requiri licentiam, ut canonici abesse possint; censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties canonici abesse volunt extra diocesim; ita ut ad morandum extra diocesim, Episcopi licentia petenda et obtinenda sit. Episcopus etiam legem edicere potest, ne canonici extra diocesim absint sine ejus licentia. Hanc tamen sine rationabili causa negare non debet. Si Episcopus eam denegat, canonici ad Sacram Congregationem recurrere possunt (1). Ad aliam tamen diocesim transire possunt, sine Episcopi licentia, si transeant, non morandi causa, sed ad breve tempus, quia ex veterum sententia qui aliquantisper tantum absunt, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt (2).

§ 7. De tempore et numero, in quo canonici abesse possunt.

I. Sacra Rituum Congregatio (3) declaravit, *canonicos non omnes simul a servitio vacare debere, sed alios post alios, ordine servato, ita ut ecclesia servitio non defraudetur*. Eodem tempore non omnes abesse possunt, Concilium enim vacationes non dedit capitulo, sed canonicis, scilicet singulis per vices (4).

II. Lege generali non determinatur, quot canonici simul vacare possint. Sacra Congregatio pro variis circumstantiis in particularibus casibus aliquando præscripsit, ut quartæ tantum parti (5), et in aliis casibus ut non ultra tertiam partem uno eodemque tempore abesse liceret (6). Quapropter eadem Sacra Congregatio statuit (7), quota pars simul abesse possit, relinqui arbitrio Episcopi et capi-

(1) Lib. III Decretal. tit. IV, c. XVII *Clericos*; S. C. C. 9 Maji 1626, in causa *Jadren.* lib. 12 decret. p. 253; 22 Januarii 1628, in causa *Terracinen.* lib. 13 decret. p. 380; 4 Maji 1737, in causa *Castri maris* apud Bened. XIV, Inst. 107, § VI, et apud Pallottini *Canonici* § V, n. 133-138; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. XI, n. 14-16; Bouix de capitulis p. 3, cap. IV, § 1, n. VII.

(2) Ita Fagnanus in 1 p. III Decretal. de clericis. non resid. c. *Clericos*, n. 6.

(3) 23 Nov. 1602 in *Egitanten.* ad 2; S. C. C. 1582 dub. 5, in *Abulen.* apud Zamboni, *Capitulum eccl.* § XII, n. 1.

(4) Fagnanus in 1, p. III Decretal. de præbendis c. *Licet* n. 55.

(5) Ceccoperius lib. 2, tit. XII, n. 4.

(6) 12 Jul. 1631 *Auximana* lib. 14 decret. p. 467, apud Bened. XIV, Inst. 107, § VI; Zamboni *Canonici* § XI, n. 10; 28 Nov. 1649 *Montis regalis* apud Zamboni *Capitulum eccl.* § XII, n. 2.

(7) 1581 in causa *Abulen.* l. 3, decret. p. 79, apud Benedictum XIV, Inst. 107, § V.

tuli, vel etiam solius Episcopi, qui habito respectu ad necessitatem servitii chori pro suo arbitrio et conscientia præscribit, quis canonicorum numerus vacatione eodem tempore frui possit (1). Unde ipsa declaravit (2) Episcopum facere debere decretum, quod statuit, quota pars canonicorum simul, et quo tempore abesse possit.

III. Lege generali etiam non cavetur, quibus diebus canonici vacare vel non vacare valeant. Sacra Congregatio (3) declaravit, *hujusmodi vacationem contingere non debere tempore quadragesimæ et adventus, neque in amplioribus anni festivitibus*; neque (4) incurrere in dies dominicos et festivos totius anni, in octavas nativitatis, resurrectionis, pentecostes et Corporis Christi. Hoc pro ecclesiis particularibus et in specialibus circumstantiis statutum est: æquissimum tamen est, et Concilio Tridentino sess. 23, cap. 1, de reform. ita expresse admonenti Episcopos, conforme; quamquam non ubique servetur (5). Episcopus autem providere debet, ne vacationes incurrant in natale aut pascha Domini, sive in similes maximas solemnitates (6); et ad tuendam festorum et ecclesiæ dignitatem mandare potest, ne vacationes in hujusmodi solemnitatibus assumantur (7).

§ 8. De modo computandi tempus residentie.

I. Nonnulli olim putaverunt, tempus residentie et vacationis, non per dies, sed per horas supputari posse, quia talis supputatio non adversatur Concilii Tridentini sanctionibus, quæ nihil de punctaturis per dies aut per horas canonicas supputandis statuerunt; quinimo utilius chori servitio conferri autumarunt, quod absentium punctaturæ per horas canonicas computarentur. Supposita enim computatione per dies, qui uni vel alteri horæ intervenire quacumque de causa fuerit præpeditus, eligeret toto illo die

(1) S. C. C. 16 Sept. 1662, *Cremonen.* dub. 2, apud Zamboni *Capitulum eccl.* § XII, n. 4; Barbosa de canonicis cap. XX, n. 4.

(2) In cit. *Auximana* 12 Jul. 1631.

(3) 12 Julii 1631 in *Auximana* cit.

(4) 21 Julii 1640, *Interamn.* apud Lucium Ferrarem *Canonicatus* art. V, n. 4; 28 Nov. 1649 *Montis Regalis* apud Zamboni *Capitulum eccl.* § XII, n. 2.

(5) Garcias de benef. p. 3, cap. 2, n. 317; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 115.

(6) Barbosa de canonicis cap. XX, n. 6.

(7) Ceccoperius lib. 2, tit. XII, n. 5.

a choro abesse : quod si e contra tempus per horas computaretur, et quis in una aut altera hora impediretur; tunc et in ipso die aliis horis interesset, suaque præsencia divino cultui operam daret. Cum autem, sicut etiam refert Benedictus XIV (1), in supputanda vacatione trium mensium aut brevioris temporis, horæ, non vero dies, numerarentur; Sacra Congregatio hanc supputandi rationem improbavit (2), et censuit, ad constituendum servitium novem mensium non esse colligendas punctaturas, quasi ii, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quæ ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio novem mensium debito satisfecerint, sed ipsos dies residentia et servitii, sive continui fuerint sive interpolati, numerandos esse, ut numerum compleant dictorum novem mensium. Sic etiam ad conficiendum spatium trium mensium vel brevioris vacationis, horæ cujuslibet diei non sunt computandæ, sed dies integri absentia tantum; nec ex horis, quibus canonici absunt a choro, dies confici possunt, ut ex diebus et horis sic collectis conficiantur menses absentia (3).

II. Dies igitur computandi sunt, non vero horæ canonicæ, et venia Apostolica necessaria est, ut horas, et non dies computare liceat (4).

III. Ad dies autem computandos, an requiritur, ut residens illis diebus intersit integro diei officio omnibusque horis canonicis, vel an sufficit, ut assistat alicui illius diei officio, v. g. missæ, vespers, etc.? De jure communi tenentur canonici omnibus diebus, singulisque horis interesse, excepto legitimo vacationis tempore (5). Quod, ut Garcias affirmat, constat ex Concilio Tridentino, et ex pluribus declarationibus S. C. C., quas allegat, et quarum prima est: *Interessentia, de qua in hoc decreto, debet esse in omnibus diebus et horis officiis divinis interesse, et inservire, præterquam in tribus mensibus singulorum annorum, nisi*

(1) Inst. 107, § VI.

(2) 17 Junii 1594 in causa *Aquitana* lib. 8 decret. p. 92 a tergo.

(3) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 56; Garcias de benef. p. 3, cap. 2, n. 327.

(4) S. C. C. 18 Mart. 1854 in *Mexicana* apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 201-203; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 251, n. 10; De Angelis lib. III Decretal. tit. IV, n. 14.

(5) Ita Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV de clericis non resid. n. 111; Barbosa p. 3, de off. et potest. Ep. allegat. 53, n. 133; Garcias de benef. p. 3, cap. 2, n. 324 et seqq.

*ecclesie constitutiones longius servitii tempus requirant.* Et post plura alia: *Non valet statutum, ut una hora vel duabus interessentes lucrentur massam grossam, sive præbendam, amissis distributionibus quotidianis.* Quapropter qui quolibet die alicui horæ culpate non intererit, reputabitur absens ea ipsa die quoad mulctam fructuum suæ præbendæ, quamvis lucretur distributiones pro cæteris horis, quibus præsens erit (1).

IV. Si tamen ea adsit consuetudo, ut, semel in die, et vel unica horæ assistendo, fructus lucrifiant, hæc consuetudo juxta aliquos (2) valere videtur, et sustineri potest juxta Garciam (3), saltem dum per superiorem aut per capitulum non aliud ordinatum est (4). Certum tamen est, quod, etsi talis frequentatio canonicis hodieum in plerisque locis sufficiat ad hoc, ut præbendarum suarum fructus integre percipiant, nequaquam tamen ad hoc sufficiat, ut suam coram Deo obligationem integre exolvant (5).

§ 9. *Tempore vacationis percipiuntur fructus, sed non distributiones.*

I. Cum juxta Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XII de reform. obtinentibus dignitates, canonicatus, præbendas aut portiones non liceat ultra tres menses abesse, et alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum; sequitur, illum qui abest ad tres menses vel ad tempus legitimæ vacationis, fructibus privandum non esse, eosque licite percipere (6). Quod si omnes canonicatus redditus consistant in distributionibus quotidianis, licite accipit duas tertias partes, quæ præbendæ rationem habent.

II. Distributiones vero tempore absentia et vacationis illi percipere non licet: statuit enim Concilium Tridentinum loco citato: *Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusionem aut remissione exclusam, his careant, juxta Bonifacii VIII decretum, quod incipit consuetudinem: quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus qui-*

(1) Ita Ceccoperius lib. 2, tit. XII, n. 10.

(2) Cæsar. de Grassiis decis. 116, n. 8; Pichler lib. III, tit. IV, n. 10.

(3) Loco cit. n. 330.

(4) Reiffenstuel loco cit. n. 112.

(5) Ita Wildt cap. VII, § 6, *Error secundus*.

(6) Bened. XIV Inst. 107, § VI; Pallottini *Canonici* § IX, n. 144.

*buscumque statutis et consuetudinibus.* Quod ipsum S. C. Congregatio sæpius declaravit (1). Et obtinet etiam in casu, quo absentes tempore vacationis in morbum inciderent (2), et non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ut liquet ex Concilio Tridentino et pluribus declarationibus S. C. C. (3), nisi statuta Sedis Apostolicæ auctoritate facta fuerint, aut ab eadem confirmata, etiam ante Concilium Tridentinum, qualia per concilium sublata non fuerunt (4), aut nisi a Sede Apostolica indultum impetratum fuerit, quod, attentis redditibus tenuissimis, ex speciali gratia aliquando conceditur (5).

§ 10. *De causis excusantibus a residentia.*

I. Causæ quæ canonicos a residentia eximunt, in jure expressæ non reperiuntur. Illæ enim, quas Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. 1, de reform. memorat, nempe *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesie vel reipublicæ utilitas*, referuntur ad rectores ecclesiarum, animarum curam habentes; et aliæ quæ habentur sexti Decretalium lib. III, tit. III de Clericis non residentibus, videlicet: *Infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesie utilitas*, agunt de distributionibus. Quum autem per ipsos non stet, quominus resideant et ecclesie inserviant; nullum idcirco ex absentia pati debent detrimentum. Hinc omnes etiam conveniunt, plurimas esse causas, quæ canonicos excusant a personali residentia. Ast quænam sint causæ graves et sufficientes ad excusandum, in genere definiri non potest. Omnes tamen illæ causæ, quæcumque sint, ad unam ex supra expressis referuntur.

(1) Anno 1586 in *Bononien.* et in alia *Pistorien.* lib. 4 decret. p. 168 et 212, apud Bened. XIV Inst. 107, § VI; 15 Januarii 1707 in *Asculana* lib. 57 decret. p. 1; 18 Aug. 1708 in *Suessana* lib. 58 decret. p. 388, apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 144-147.

(2) S. C. C. 6 Dec. 1794, in *Oriolen.* § *Quatenus.*

(3) In *Mediolanen.* mense Majo 1586, lib. 4, decret. p. 141; 12 Sept. 1829, in *Derthonen.*; 30 Januarii 1830 in *Ipporegien.* § Si; 18 Junii 1831 in *Florentina* § Si, apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 151-155; Fagnanus in 1, p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 92.

(4) S. C. C. anno 1586 in causa *Bononien.* et in alia *Pistorien.* loco supra cit. 26 Mart. et 23 Ap. 1831, in *Ipporegien.* apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 158 et 161.

(5) Lucidi de Visitat. SS. Lim. vol. 1, fol. 255, n. 20.

Ex his causis aliæ canonicos ita excusant, ut per fictionem juris præsentibus reputentur, ipsique licet absentes, non tantum fructus præbendæ, sed etiam distributiones quotidianas lucrentur. Hæ causæ sunt, quæ recensentur in cap. unico de clericis non residentibus in VI, ut supra dictum est. Aliæ vero canonicos quidem eximunt a servitio chori, sed ita, ut solos fructus præbendæ, non autem distributiones quotidianas percipiant. Quæcumque tamen causæ justæ, quæ a residentia eximunt, excusant quoque a peccato, et ab obligatione in conscientia choro assistendi.

Quænam autem sint causæ graves et sufficientes ad excusandam a personali residentia, et consequenter a pœnis statutis, dici nequit, cum hoc plurimum dependeat a variis circumstantiis, quæ Episcopi seu Ordinarii judicio determinandæ permittuntur, quandoquidem gravitas et levitas non nisi prudenti intellectus discretionem, consideratis omnibus adjunctis, determinari potest (1): prout testante Fagnano (2), censuit S. Congregatio, nemini abesse licere præterquam ex causis in jure expressis, quæ an vere subsint, Episcopi esse judicium.

II. Unde ut causa canonicos a residentia excuset, juxta quosdam (3) requiritur prævia Ordinarii approbatio ac licentia. Hanc autem licentiam potius de honestate quam de necessitate petendam esse docet Garcias (4) in omnibus casibus a jure expressis. Si vero dubium supersit, certe requiritur approbatio et licentia Ordinarii, cujus est, ut jam dictum est, judicare, num causa vere subsit.

III. Episcopus dare non potest licentiam absentiae seu non residendi, nisi in casibus a jure expressis: Sacra enim Congregatio, ut refert Garcias (5) declaravit, non dari facultatem Ordinariis, dispensandi in residentia ex quavis ratione, sed tantum ex causa, quæ est a lege approbata, et in jure expressa. Episcopus tamen consensum capituli requirere non debet (6).

Capitulum eam licentiam, licet ad breve tempus, et ex justa causa, etiam ex consuetudine, dare non potest, quia non potest

(1) Pallottini *Canonici* § V, n. 47.

(2) In 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 75.

(3) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de cleric. non resid. c. *Cum ad hoc*, n. 8; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 122.

(4) De benef. p. 3, cap. 2, n. 94-98; Engel lib. III Decretal. tit. IV, n. 28.

(5) Loco cit. n. 406 412; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 37.

(6) Garcias ibidem n. 407.